



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regvlæ Societatis Iesv**

**Angeli, Bernardo d'**

**Romæ, 1616**

De Superioribus ei subordinatis, & eorum officialibus. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68329)

ad officium Prouincialis, & communem vsum Prouinciæ pertinent, quæ omnia ex catalogo à se subscripto successori tradet.

P. 7. c. 3. §. 2. et p. 7. c. 2. lit. M. et c. 4. §. 3. et p. 10. lit. B. 20 Habeat libellum, in quem referat ea, quæ consultanda, vel prouidenda, vel ad Generalem scribenda sunt, ne memoria excidant.

Orationes, et Missas indicare potest. 21 Orationes, & Missas ad tempus indicare poterit etiam in tota Prouincia pro causis, quæ videbuntur id exigere, modum tamen in ea re non excedat.

*De Superioribus ei subordinatis, & eorum officialibus.*

C A P. III.

P. 9. c. 3. §. 3. et 14. 22 **E**tsi Præpositos Domorum, & Rectores Collegiorum, & Domorum Prouinciationis suæ Prouinciæ constituere non potest; si tamen necesse esset aliquando mutationem facere Superioris alicuius, & periculum esset in mora, vel si is moreretur, poterit aliquem, qui vices Superioris gerat, interim constituere, donec Generalis admonitus prouideat. Ministros autem, Procuratores, & Præfectos studiorum ipse designabit, atque etiam Subministros, & Præfectos sanitatis, ubi opus esse iudicauerit.

23 Con-



23 Constituat Magistros Nouitiorum in locis probationum non separatis, à Generali tamen confirmandos, & eos quidem, qui in rebus spiritualibus exercitati sint, & in modo procedendi Societatis nostræ bene probati.

P. 3. c. 1. §. 12.  
Magistros No-  
uitiorum.

24 Designabit Præfectos rerum spiritualium in omnibus Collegijs, & Domibus professis, quales in prima regula officij illorum præscribuntur: itemque ordinarios nostrorum Confessarios; ex quibus fere conueniret Præfectos rerum spiritualium deligere.

P. 4. c. 10. §. 7.  
Præfectos re-  
rum spiritua-  
lium, et Con-  
fessarios no-  
strorum.

25 Deligere poterit Consultores, & Admonitores eorum, qui præsent in Prouincia, ita vt statim suo officio fungi possint: scribet tamen de ijs ad Generalem, vt ab eo confirmentur.

Consultores,  
et Admonito-  
res.

26 Prædicatores, & Confessarios ipse constituet, præmisso tamen domestico examine, & approbatione Ordinariorum iuxta formam Concilij Tridentini.

Can. 27. Cõg.  
2. Prædicato-  
res, et confes-  
sarios.

27 Lectores ordinarios in omnibus classibus, & primarios officiales, præter Rectorem, & Cancellarium in vniuersitatibus deligat, nouas tamen lectiones non addat, nec scholas vsquam vllas & præsertim eas, in quibus pueri legendo & scribendo instituantur (quod nec priuatim licebit) sine facultate Generalis aperiat.

P. 4. c. 6. lit. F.  
Ibid c. 17 lit.  
A. Lectores,  
et Officiales  
Vniuersitatũ;  
Ibid c. 7 lit. A  
Ibid. c. 12. lit.  
C.

28 Tueatur auctoritatem Superiorum

P. 8 c. 1. §. 4.  
et 6. et p. 9. c.  
6. §. 2.

C imme-



*Auctoritas Superiorum immediatorum tuenda.*

immediatorum in subditos, ita tamen, vt constet posse omnes ad mediatos, recurrere: ideo quicquid agendum, vel immutandum erit, quod ad immediatorum officium pertineat, per eosdem fieri curabit.

*De Idoneis ad gubernandum.*

29 Si quos ad gubernationem idoneos iudicabit, curet de illis paulatim & negotijs tractandis & domesticis ministerijs obeundis experimentum sumere, vt & ipsi talenti accepti specimen dare, & Societatis officia eis tuto committi possint.

*De Aptioribus ad alia ministr.*

30 Obseruet, si qui detineantur in ministerijs aliquibus, qui magis idonei essent ad alia: eam tamen habeat cuiusque rationem, vt vniuersale bonum semper præferatur.

*P. 8. c. 1. lit. E. Neminem eximat ab obedientia Superiorum.*

31 Neminem ab obedientia Superiorum immediatorum inconsulto Generali eximat, nisi periculum esset in mora, & tunc certiorum faciat Generalem de persona, & de causis propter quas eam exemerit.

*De admittendis.*

#### C A P. I V.

*Par. 1. cap. 1. Qui admittendi ad Societatem.*

32 **E**Os ad probationem per se, vel per alios admittere poterit, quos ad institutum nostrum idoneos in Domino iudicauerit: cauebit tamen ne cuiusquam admissio, iustam aliquam externorum offensionem, aut